



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

LXXIX. De Indulgentijs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

biliorem supra §. 3. dedimus. Neque ideo exorzatur oleum, quasi à dæmone possideretur, sed quod eo, sicuti & alijs creaturis, ad nostram penitentiam abuti diabolus soleat, nisi à Deo prohibeatur, ideo per exorzismos jubetur DEI nomine illo abusu abstinere. Ad 7. Sicuti remissio peccati originalis Sacramento Baptismi: & actualium Pœnitentiæ ad scribitur, ita remissio reliquiarum peccatorum extremæ unctiōni tribui, à quo Sacramento preces hocipso non excludimus, quod juxta D. Jacobum. formam deprecativam requiramus. Cæterum quidam Theologi reliquias ex peccato originali vocant inclinationem ad malum, & difficultatem ad bonum: ex actuali verò phantasma, vel habitum, quibus redditur vitium facile, & virtus difficilis; has reliquias tolli volunt, dum per hoc Sacramentum conceditur robor medijs auxilijs excitantibus, per quæ difficultates prædictæ superantur; Alij malunt reliquias illas dicere, peccata mortalia, aut venialia post cætera Sacramenta relicta: item torporem, mœrorem, & anxietatem ex peccatis relinqui solita; quo modo acceptæ reliquæ etiam per gratiam Sacramentalem tolluntur.

XVIII. Ad 8. nos credere, quod extrema unctio sit verum Sacramentum Novæ legis à Christo institutum, & firmissimè confidere, ejus nos effectum obtenturos, si illud rite piæque suscipiamus: Fiduciam illam Lutheranorum, in cuius excitatione & roboratione totam Sacramentorum efficaciam ipsi ponunt, tanquam inanem alibi jam rejecimus. Ad 9. utrumque fieri sub diversa ratione, in ordine ad sanitatem corporis restituendam, si hæc expediat æternæ animæ salutis: in ordine ad felicem egressum, si DEO visum sit, filium vitæ rumpere. Ad 10. Cum omne peccatum sit libera præcepti transgressio, nullum propriè à sensibus committi, in iisque subijci posse, sed causam immediatam, & sedem ejusdem solam esse voluntatem, quæ formaliter & unicè libera est; inunguntur tamen sensus, & sit deprecatio eorum, quæ homo per sensus deliquit, quia peccata per sensus veluti per primas portas ingrediuntur, & per alias potentias se insinuando tandem à voluntate admittuntur. Ad 11. D. Jacobum non de corporali sed spirituali erectione fuisse locutum, sicuti supra §. X. diximus. Ad 12. denique additamentum Amelii, promissionem absolutam non esse de sanitate corporali, sed de gratia Sacramentali, hoc est, de gratia Sanctificante trahente secum auxilia, & gratias prævenientes, quibus ægroti animus alleviatur, ut supra diximus, qui effectus est etiam infallibilis, nisi obex ponatur. Urget idem fol. 244. contra effectum hujus Sacramenti, quem diximus esse, reliquias ex peccatis tollere; absterio, inquit, peccati quoad culpam in Pœnitentiæ Extremæ Unctiōnem antecedente habetur: absterio autem quoad penam vel satisfactionem vel indulgentiam juxta Papistas requirit. Dicimus, per hoc Sacramentum remitti peccata mortalia ea tantum, quorum quis conscientiam non habet sive ob oblivionem sive ob morbi gravitatem; etenim illa, quorum conscientiam habet, debent Sacramento Pœnitentiæ expiari. Conducit itaque tunc, quando quis ad remissionem peccati mortalis jam quidem fuit confessus & communicavit, attamen id non rite per egit, & quidem præter advertentiam illius: aut

certè rectè utrumque fecit, sed postmodum peccato se lethali, quod supplicio æterno luendum foret, obstrinxit, sed hoc quoque non considerat, & ad illud non advertit. Et hoc insinuat S. Jacobus c. 5. v. 11. ajens: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Declarat verò Tridentinum Sess. 14. c. 2. iniquis: *Unctio Spiritus Sancti delicta, siquæ sunt adhuc expianda, abstergit.* Quodsi lethalia etiam peccata modo prædicto remittuntur in hoc Sacramento, multò magis venialia, quæ sunt reliqua. Unde etiam istud Sacramentum idem Tridentinum in præmio ad Extrem. Unctiōnem vocat consummativam totius vitæ Christianæ.

\*\*\*\*\*

## CONTROVERS. LXXVIII.

### DE INDULGENTIIS.

**H**æc est materia, quam non malè dixerim Petram Scandali; ex ea enim Martinus Luther perversionis suæ sumpsit initium, & postea susque deque vertendo omnia maximo Ecclesiæ & Germaniæ damno in hæresiarcham pestilentissimum evasit. Nam cum ordo Eremitarum S. Augustini, (in quo ipse Monachum egit doctrinâ & eloquentiâ non incelebris) per multos annos in Moguntina Archiepiscopi sacras indulgentias promulgare consuevisset: anno autem Domini 1517. Albertus Margravius Brandenburgensis Archiepiscopus Moguntinus Elector & S.R.E. Cardinalis illarum indulgentiarum promulgationem Ordini S. Dominici commisit, id adeo sensit Lutherus, ut superbiâ, ambitione, irâ, & invidia stimularus ceperit publicè eas carpere, vilipendere, & disterijs traducere, nec ab hac audacia & impietate sua desistere, usque dum alia, ex alijs in Ecclesia Romano-Catholica reprehendere, contemnere, & abijcere fuerit ausus ac tandè contumax Religionem simul ac Fidem abjecerit, ipsam quoque Ecclesiam è culmine suo dejecturus, si turpissimus Apostata id potuisset. Videri potest Floremundus Remundus in historia hæresum à fol. 36. Tractant Authores de Indulgentijs communiter post Pœnitentiâ; sed quia etiam Extrema unctio ad reliquias saltem peccatorum tendit tollendas, utriusque subjungimus easdem, postquam enim homo per utrumque Sacramentum à peccatis æternòque cruciatu sit liber, à temporali quoque pœna per Indulgentias solvitur.

\*\*\*\*\*

## PARS PRIOR.

### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

**I**ndulgentiæ Nomen non sumitur hic pro conniventia, sed remissione alicujus debiti, quo modo usurpatur tum in Scriptura, quando DEUS indulgere peccatoribus dicitur, tum à Patribus Hieronym. in cap. 4. Danielis, Augustino in Psal. 101. & alijs, ut proinde Ecclesiastico usu Indulgentia idem sit ac relaxatio, condonatio, venia &c. alicujus debiti.

*Doctrina prima.* Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis actualibus remissis debitæ de Thesaurò communi Ecclesiæ ab eo, qui potestatem habet. Ita omnes Catholici Doctores. Et hanc dari, sive esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, quibus absque propria satisfactione relaxetur pœna temporalis apud Deum debita, rectè censent esse de fide Cardinalis Bellarminus Lib. 1. de Indulg. cap. 3. Valentia Tom. 4. Disp. 7. Q. 10. pun. 2. Suarez Disp. 50. Sect. 2. n. 2. & alij Theologi. Tum ex communi sensu Fidelium ac sententia omnium Doctorum. Tum ex Conciliòrum ac Pontificum decretis, in quibus est Concilium Lateranense sub Innocentio III. ut refertur cap. cum ex eo, de pœnit. & remiss. Lugdunense sub Innocentio IV. ut patet ex cap. Romana de Pœnit. & Remiss. in 6. Concilium Viennense. Clementin. unica. de reliq. & venerat. Sanct. Constantiense Sess. 8. 15. & ultim. contra Wicleffum & Hufs. Et denique Concilium Tridentinum Sess. 25. decreto proprio, ubi anathemate damnatur, qui potestatem concedendi indulgentias in Ecclesia esse negat, ut infra dicemus. Nunc explicatur singillatim magis allata definitio Indulgentiarum. Itaque.

II. *Dicitur 1. Relaxatio seu Actus spiritualis Jurisdictionis;* quam potestatem Jurisdictionis subditos etiã à pœnis temporalibus solvendi, & sic liberum introitum in Regnum cœlorum aperiendi, concessit Christus Petro Joannis 21. v. 17. dicens: *Pascere oves meas.* Nam eo loco Christus Petro tanquam suo nunc constituto in terris Vicario tradidit universalem potestatem regendi Ecclesiam; At sub ea potestate latè intellecta (siquidem Christus nullibi eam restrinxit) non solum contineri debet potestas Sacramenti ministrandi, leges ferendi, sed etiam solvendi subditos à pœnis pro peccatis debitis; hæc quippe facultas & Ecclesiæ expedit, utpote Fidelibus convenientissima, & promissioni factæ Matth. 16. v. 18. de clavibus regni cœlorum tradendis maximè congruit; siquidem eã potestate regnum cœlorum, quod ob pœnarum debitum clausum est, aperitur.

III. *Dicitur 2. Pœna temporalis pro peccatis actualibus remissis debita.* Nam remisso peccato mortali unã cum æterna pœna non semper remitti omnem pœnam temporalem vel in hac vel in altera vita luendam, sæpe jam diximus, & nominatim paulò supra in Controvers. de Satisfactione ad initium, ac rationem dedimus, quod tum ipsa æquitas divinæ Justitiæ, tum ipsius hominis adeo ad peccandum proclivis bonum quodammodo postulare, ut tanta DEI offensa non penitus maneret impunita. Et si Mariæ Sorori Moysis etiam post sanatam lepram conveniens non putavit DEUS, statim omnem pœnam dimitti, multò minus convenit id fieri post spurcissimam peccati mortalis lepram sanatam, juxta illud Num. 12. v. 14. *Si Pater ejus spisset in faciem ejus, non debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extra castra, & postea revocabitur.* Ad hæc peccatum mortale ex duplici titulo promeretur pœnam, scilicet quatenus est transgressio legis, & quatenus est offensa DEI; ratione hujus meretur pœnam æternam; ratione illius in super aliquam temporalem duntaxat; quia peccatum ut est transgressio legis, & ut respicit justitiam vindicativam, meretur pœnam temporalem. Ita

Theologi supra allegati, quamvis alij eandem pœnam temporalem ex alio fundamento alluant, ut ibidem diximus.

IV. *Dicitur 3. De thesauro communi Ecclesiæ.* Nam extat in Ecclesia thesaurus satisfactionum ex Christi passionibus infinitis, qui ex hauriri nunquam potest. Ad quem thesaurum etiam pertinent passionibus B. V. Mariæ, & aliorum Sanctorum, quod plus passi fuerint, quam eorum peccata requirebant. Ita tanquam de fide certum tradunt Catholici Doctores apud Card. Bellarm. Lib. 1. de Indulg. c. 2. Valentiam Tom. 4. D. 7. q. 20. pun. 1. Suarez Disp. 49. Sect. 1. & D. 51. sect. 1. & alios, ac probat text. in Extravag. Unigenit. de Pœnit. & Remiss. Et Tridentinum Sess. 21. c. 9. ac Sess. 25. ad finem. Existit autem thesaurus iste non in loco aliquo materiali, sed in DEI acceptance; quippe DEUS Pater satisfactionem Christi Domini, & superfluentem satisfactionem B. Virginis & Sanctorum in sua voluntate observatam habet & acceptam. Atque hæc satisfactio Christo Domino & Sanctis superflua applicari possunt alijs, qui rei sunt luendæ pœnæ temporalis, ut constat ex articulo Symboli Apostolici de Communione Sanctorum. Et ex 2. Corinth. 2. v. 10. *Cui autem aliquid donasti, & ego; nam & ego, quod donavi, siquid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à Sathana; quem locum de remissione pœnæ temporalis & indulgentia interpretantur D. Chrysostr. Ambrosius, Anselmus, D. Thomas, & alij apud Tirinum.* Pro cujus intelligentia sciendum, Corinthi aliquem ex Christianis grave commisisse crimen, quod etiam gravem meruit pœnam; & quia ista pœnitentia erat fere importabilis, D. Paulus aliquid remisit, idcirco ajens; *nam & ego, quod donavi, siquid donavi.* In quæ verba Theodoretus ita scribit: *Ostendit quidem Apostolus, vehementem fuisse pœnitentiam dicens: abundantiore tristitia, remissionem tamen vocat recipi, id est, gratiam, ostendens peccatum fuisse majus pœnitentiã.* Et infra: *postquam reseruit Apostolus, eos utilitatem cepisse ex ijs, quæ ad eum (incestuolum) scripserat, dat is potestatem ostendendæ munificentia.* Non igitur immerito ex isto Apostoli loco inferitur indulgentia, tum quia aliàs huic peccatori exigua obtigisset munificentia & liberalitas, tum quia, cum Paulus in persona Christi remisit, pœnam, quæ Christo debebatur, remisit.

V. *Dicitur 4. Ab eo, qui potestatem habet.* Nam concedere Indulgentias est actus jurisdictionis (non cœactivæ, sed voluntariæ) in Subditos, non verò Ordinis etiam Episcopalis; imò non requirere videtur hunc ordinem, uti cum pluribus sentit Palao Tr. 24. Disp. unic. pun. 2. num. 9. Quemadmodum igitur in unaquaque Republica sæculari supremi Mediatoris est, communem Republicæ thesaurum in subditorum utilitatem servatã debitã proportionem dispensare, ita in Ecclesiastica imprimis Romani Pontificis est, thesaurum satisfactorium Christi & Sanctorum fidelibus applicare; quod enim dictum est Petro Matth. 16. v. 18. cit. *Tibi dabo claves &c.* hoc etiam ad Romanum Pontificem pertinet, qui deinceps alijs Ecclesiæ Prælati delegare eandem potestatem potest, prout & quamdiu placuerit. Hinc natus est in Ecclesia antiquissimus mos, ut à Prælati Ecclesiæ ad intercessionem præcipuè Martyrum venia ac remissio pœnitentiæ Ecclesiasticæ lapsis pœnitent-

pœnitentibus concederetur, nullo utique ipsorum damno sed fructu, ut videre est apud Tertullianum lib. ad Mart. c. 1. & Cyprianum lib. 3. Epistol. 15. Eademque relaxandæ seu imminuendæ pœnitentiæ publicæ ratio pro pœnitentium dispositione etiam in Concilio Nicæno statuta est can. 11. vel. 12.

VI. Porro ad valorem Indulgentiæ ex parte dantis necessaria est causa iusta. Ut autem iusta sit, debet esse vel adæquata, vel proportionata; iustum quippe non est, nisi aliquo modo rei adæquetur, vel proportionetur. Ita Cardinal. Bellarminus Lib. 1. de Indulgent. c. 12. Suarez in 3. Part. Tom. 4. D. 54. Sect. 3. Tanner Tom. 4. D. 6. Q. 8. dub. 4. & plerique alij Doctores. Non videtur tamen improbableem, quod sentit Valentia Tom. 4. D. 7. Q. 20. pun. 4. ad valorem indulgentiæ sufficere quamcunque causam piam, etiam concedens ex indiscretionem aliqua aut ratione scandali peccare possit. Ratio est. Tum quia eadem Indulgentiæ frequenter pro causis admodum diversis conceduntur; nec præsumi debet, id temere fieri à summis Pontificibus. Tum quia Christus & Sancti minimam gloriam divinam, quæ ex opere quocunque pio & utili Fidelium redundare potest, pluris faciunt, quam quodlibet opus satisfactorium, ut præcisè satisfactorium est, quale ad pœnam temporalem solvendam requiritur. Præter hæc rationes eidem opinioni non deest auctoritas aliquorum Theologorum, quos adducit cit. Author, in primis verò S. Thomæ in Supplement. q. 25. art. 3. ubi sic ait: quæcunque causa adfit, quæ in utilitatem Ecclesiæ & honorem Dei vergat, sufficiens est ratio, indulgentias faciendi, & ideo dicendum, quod indulgentiæ simpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit Auctoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte causæ pietas. Ita S. Doctor, quem sequuntur omnes Thomistæ. Accedit huic doctrinæ pondus ex eo, quod opposita sententia Bellarmini, Suarezij, &c. Fideles in frequentes ac molestas dubitationes, hæsitaciones, atque anxietates conijciat; quis enim nosse potest, Papam in his vel illis indulgentijs tales habuisse causas, quæ concessionem vel æquent, vel eidem proportionentur?

VII. *Doctrina secunda.* Indulgentia ex communi Auctoritate dividitur in Totalem & Partialem. Prior (quæ etiam Plena, Plenior, Plenissima vocari solet) non tantum pœnitentiam injunctam per Confessarium, vel Canones, aut secundum hos injungi debitam, sed etiam omnem purgatorij pœnam tollit: nec differt à Jubilæo, nisi accidentaliter privilegijs quibusdam, ut quod in Jubilæo licita sit dispensatio in certis votis, absolutio à reservatis & censuris, ac quod Confessarius quilibet approbatus eligi possit. Posterior est unius, aut aliquot annorum, item Septenæ, Quadragenæ, carenæ: item tertiæ partis peccatorum; per quas indulgentias non significatur, tolli tantam durationem purgatorij, sed quod tanta pœna remitteretur, quanta deberetur per jejunium unius aut aliquot annorum, vel 40. dierum in pane & aqua secundum canones olim imponi solitum; quod jejunium 40. dierum à carentia cibi & potus hominumque confortij carena vocabatur durans à principio quadragesimæ usque ad diem cœnæ Domini. Quodsi delictum extraordinarium esset, tunc utraq; pœnitentia,

& quadragenarij jejunij & septem annorum imponebatur. Alia est divisio Indulgentiæ satis communis in Personalem, & Localem seu Realem. Personalis est, quæ Personæ conceditur, quamque secum portat, quocunque proficiscatur. Localis est, quæ alicui pio loco annexa est, non quasi ipse locus capax sit alicujus indulgentiæ & remissionis, sed quod in ejus favorem hominibus ibidem orantibus indulgentia concedatur; quâ ratione aliquibus agnis Dei benedictis, imaginibus, crucibus, &c. indulgentia concedi solet, non quidem ipsis, sed hominibus illa secum deferentibus, aut coram eisdem orantibus. Plura circa hæc Videri possunt apud Palao Tr. 24. D. unic. pun. 3.

VIII. *Doctrina tertia.* Indulgentiæ profunt solum ad remissionem pœnæ temporalis etiam in foro DEI debitæ ac divino judicio in hac vel altera vita exsolvendæ: non autem ad remissionem ullius culpæ. Posterior ista pars est communis Theologorum. Ratio sumitur tum ex sensu & usu Ecclesiæ. Tum quia non fit remissio peccatorum absque propria dispositione & pœnitentiâ. Quodsi in aliquibus Indulgentiarum formis dicitur fieri condonatio à culpa & pœna, eatenus à culpa fieri intelligitur, quatenus conceditur facultas eligendi confessarium, qui à quavis culpa absolvat, ut cum Eckio in Disp. Lipsiaca notat Valentia Quæst. 20. cit. pun. 3. Prior illa pars est itidem communis, nec debet hæc ratio ex communi sensu Ecclesiæ & Doctorum putari parvi momenti, ut bene Cajetanus Tom. 1. Opusc. Tr. 6. q. 4. est enim, inquit, tantæ auctoritatis, ut non liceat nisi temere sentire oppositum; siquidem fundatur in Scriptura, quæ sicuti loc. cit. Petro potestatem à Christo concessam affirmat solvendi & ligandi peccata in foro DEI, ita etiam pœnas in eodem debitas. Addit cum aliquibus Doctoribus Tanner Quæst. 8. cit. num. 75. per indulgentias, quæ de facto conceduntur, non tantum remitti pœnas in foro DEI debitas respondentes pœnitentijs in Ecclesiæ seu Pœnitentiæ foro interno si ve externo injunctis, sed etiam cæteras; saltem si in formula concessionis omittatur vocula *de injunctis*. Nam esto Indulgentiæ sint strictè interpretandæ, non tamen sunt restringendæ, veluti favores, qui in salutem animarum cedunt. Quod si vocula illa de injunctis addatur, est quidem ista restrictiva, sed tamen laxè explananda, ut intelligatur de pœnitentijs tum decretis in antiquis canonibus, tum impositis unquam à Sacerdote, supponendo etiam, quod rigidè juxta quantitatem peccatorum impositæ fuerint; imò etiam de Sacramentali antea imposita, quæ præcisè satisfactoria, non medicinalis est. Vide cit. Authorem, ubi plures pro se allegat. Quando indulgentiæ in Sacello Pontificio promulgatæ dicuntur dari secundum formam Ecclesiæ consuetam, non significatur Indulgentia de injunctis, sed consuetudo, quæ servatur in Ecclesia in suscipiendis indulgentijs, ut nimirum Suscipiens illas sit in statu gratiæ, faciâtque ea, quæ præscribuntur, ut bene notat Becanus in Sum. Theolog. fol. 1081.

IX. *Doctrina quarta.* Indulgentiæ profunt omnibus Christianis tam vivis quam defunctis, si sint in gratia. Ita Catholici Doctores, qui tamen hoc addunt discrimen, ut concessio indulgentiarum pro vivis non solum contineat veram thesauri

auri distributionem & applicationem, sed etiam veram absolutionem remissionem & condonationem pœnæ mediâ illa satisfactione ex thesauro Ecclesiæ exhibita: At verò concessio indulgentiarum pro defunctis nullam absolutionem vel remissionem à Pontifice factam contineat, sed solâ pretij exhibitione, & illius per DEUM acceptione fiat pœnæ remissio. Unde Pontifices, quoties concedunt indulgentias pro defunctis, semper addunt illam particulam *per modum suffragij*, ut notant Authores. Ratio est, quia indulgentiæ per modum absolutionis capaces non sunt, nisi qui directè subditi sunt jurisdictioni Ecclesiæ; absolutio enim non nisi in subditos exercetur, quales Ecclesiæ Militantis soli sunt vivi, non autem defuncti. Quando autem Papa Jacobo v. g. Laico concedit, ut possit defuncto per modum suffragij indulgentiâ applicare, sensus non est, Jacobo Laico factam potestate distribuendi thesaurum Ecclesiæ, & maxime in favorem defunctorum, quod semper Pontifici est reservatum: nec sensus est, indulgentiam Jacobo concessam posse ab isto defunctis communicari; etenim si Jacobo est concessa, pœna peccatorum eidem fuit remissa, ut locus non restet applicationi. Intelligentia igitur vera est, Jacobo remitti facultatem designandi defunctum, quem voluerit, quâ designatione factâ Pontifex immediatè & directè indulgentiam applicat; & quia hæc applicatio designationem Jacobi subsequitur, idcirco habere dicitur potestatem applicandi indulgentiam defunctis. Videatur Valent. loc. cit. pun. ult.

X. Cæterum multò probabilius est, applicationem indulgentiæ defunctis factam habere infallibiliter effectum, perinde ac si viventibus ritè dispositis applicaretur. Ita D. Thomas in 4. distin. 45. quæst. 2. art. 3. qq. 2. Suarez D. 53. Sect. 3. n. 3. Valent. & plures alij, quamvis Bellarminus Lib. 1. c. 14. nihil determinare velit. Probatur. Tum ex communi sensu Fidelium & majore auctoritate Doctorum. Tum quia in proposito satisfactiones Christi & sanctorum, quæ applicantur ad redimendam pœnam purgatorij, sunt æquivalentes ad hanc rem. Tum quia non deest promissio divina de tali remissione fundata in illo, *quodcumque solveris super terram* Matth. 16. Tum quia ipsa indulgentia pro defunctis est etiam actus clavium & usus jurisdictionis saltem erga vivos, ut bene declarat Suarez loc. cit. Tum quia Leo X. Papa epist. ad Cajetanum apertè huic sententiæ suffragatur, ubi de distributione thesauri & indulgentiarum concessione vivis & defunctis facta loquens *omnibus nullâ distinctione factâ affirmat prodesse*; vivis per modum absolutionis: defunctis per modum suffragij, & utramque distributionem ex Apostolica auctoritate provenire. At vivis prodest indulgentia infallibiliter ex potestate à Christo accepta Ergo etiam prodesse debet defunctis, cum ex potestate applicatio derivetur. Oppositum tenet Layman Lib. 5. Theolog. Moralis Tr. 7. c. 7. n. 2. secutus nonnullos non exiguæ auctoritatis Theologos. Tum quod potestas Papæ detur solùm solvendi super terram. Tum quod in forma indulgentiarum pro defunctis tantum concedatur indulgentia per modum suffragij. Tum quod Fideles non rarè eandem indulgentiam reperant, applicentque eidem defuncto, quod superfluum esset, si indulgentia pro defunctis infallibilem haberet effe-

ctum. Respon. Ad 1. Solutionem ipsam nihilominus esse & exerceri in terris: eandem quoque judiciali solùm sententiâ terminari ad vivos, à quibus tamen mediatè favor & fructus redeundet ad defunctos. Unde rectè Valentia loc. cit. vocem super terram referri ait oportere ad actum solutionis, non ad personas. Ad 2. Voculam per modum suffragij solùm excludere remissionem pœnæ per modum judicialis sententiæ: non verò per modum æquivalentis solutionis cum infallibili effectu conjunctæ, ut diximus supra. Ad 3. negando, inutile esse, iterum iterumque lucrari eandem indulgentiam pro defunctis; quia nunquam certò constat, de facto integrè obtentam fuisse, ob defectum forsam in causa, vel in exequente, aut in acceptione animæ in purgatorio, si ista necessaria est. Videatur Palao, loc. cit. pun. 10.

## PARS POSTERIOR.

### ERRORES HÆRETICORUM.

XI. **E**rror primus. Indulgentiæ Papales nullæ dantur, meritoque repudiantur. Ita post Waldenses aliisque veteres hæreticos hujus temporis Novatores Tam Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Part. 3. fol. 126. quàm Calvinistæ apud Amesium Tom. 3. à fol. 230. ubi homo scelestus *Indulgentias Ecclesiæ Catholicæ compendiarum justam, vel sentinam torus fere mysterij iniquitatis appellat*; intera apertè palmam Bellarmino porrigit, victimque se ostendit, dum sicissimis vix habet, quod præter calumnias opponat, totumque librum secundum turpi silentio transilit. Similiter Petrus Molinæus in hac materia præter morem sterilis est, & à fol. 625. usque ad 633. nullum argumentum, sed merè apparent irrisiones subsannationes & stolidæ ludificationes. Allegat historiam Thuani. Sed iste fidem non meretur. Videatur Joannes Baptista Gallus Juris consultus in notis ad Jacobi Augusti Thuani historiarum libros, ubi sub ovina veste lupus detegitur. De alijs Sectarijs bene pronuntiant D. D. à Walenburch Tom. 2. fol. 20. eos hoc loco solere altum clamare, improbantes quod nesciunt, & facientes quod improbant. Argumenta, quibus tota cohors hæretica tum fundamenta Catholicæ doctrinæ nostræ oppugnare: tum errorem suum propugnare contendit, sunt fere ista. 1. Indulgentiæ Papales destituuntur Sac. Scripturæ testimonio, ut fatetur Antoninus Archiepiscopus Florentinus Part. 1. tit. 10. c. 3. 2. Non constat, Christum Matth. 16. v. 19. verbis illis: *quodcumque solveris &c.* loqui de potestate solvendi à vinculo etiam pœnæ temporalis; aliàs etiam ad vinculum matrimonij consummati extendi illa possent. 3. Nusquam legitur summis Pontifices Vet. Test. collegisse thesaurum meritorum & satisfactionum Noë, Abrahami, Moyse &c. atque indulgentias distribuisse. 4. D. Paulus 2. Corinth. 2. v. 10. condonavit Corinthio solùm veniam in foro externo, non in foro conscientiæ, & coram DEO. Et univèrsim in veteri Ecclesia indulgentia in eum finem fuit duntaxat concessa, ut pœna ante offensam Communitatem, non coram Deo imminueretur. 5. S. Chrysostronus hom. 1. in Epist.

pistolam ad Philomenem D. Augustinus in ferm. de Martyrib. alijque Patres ajunt, sine peregrinatione & pecunia vel solo animi proposito remissionem peccatorum obtineri posse. 6. Christus tam pro culpa, quam pro pœna satisfecit. Ergo non est locus pœnæ delendæ per indulgentias. 7. Sicut satisfactio Christi fuit infinita, sic etiam peccatum fuit infinitum, pro quo satisfecit; siquidem illud exitit offensa Personæ infinitæ. Ergo satisfactio Christi fuit exhausta in delendo peccato, ita ut nihil restaret. Confirmatur. DEUS reddidit Christo cumularum præmium juxta illud ad Philip. 2. v. 8. *Humiliavit se &c. propter quod Deus exaltavit illum &c.* 8. Si post applicatas Christi satisfactiones restarent aliæ applicandæ, divideretur Christus, & alij dimidiatam tantum, alij verò plenam Christi redemptionem haberent sibi applicatam. 9. Omnes Sancti receperunt plenam mercedem laborum suorum; imò etiam supra condignum Luc. 6. n. 38. *Mensuram bonam & conferentiam & coagitatam & superfluentem dabunt in sinum vestram.* Adhæc Sancti nihil egerunt vel passi sunt propter DEUM, quod facere vel pati non tenerentur. Ergo nihil super est, quod communicare alijs possint. Antecedens patet ex illo Luc. 17. v. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* 10. Si Sanctorum passionibus expiari possent peccata nostra, vocare eos possemus Redemptores saltem ex parte. Atqui hoc est falsum. Christus enim solus est Redemptor noster. 11. Si indulgentia esset absolutio judicialis, Pontifex non posset esse particeps ullius Indulgentiæ, quia non potest seipsum judicialiter absolvere. Item absolutio judicialis requirit cognitionem causæ. Sed indulgentia non requirit cognitionem causæ; sæpe enim datur ijs omnibus in communi, qui hoc vel illud præstiterint, non cognitis illorum causis. Ergo &c. 12. Denique doctrina de indulgentiis pugnat contra præcipuos articulos fidei; nempe contra meritum & satisfactionem Christi ac remissionem peccatorum per ipsum: contra claves regni celorum; quia cum Ministri remittere debent penitus peccata, retinent pœnæ reatum: contra fidem & doctrinam de bonis operibus. Eadem indulgentiæ tollunt partem Sacramenti, fructus dignos pœnitentiæ, compensationem injuriarum Deo factarum, & medicinam animæ peccatrici necessariam. Sunt denique Indulgentiæ merum inventum Pontificium, nutrimentum avaritiæ, & larva iniquitatis, quæ proinde non absque Numine primò detracta fuit, cum stabulum Papæ purgaretur. Unde nonnulli Papistæ fateantur, indulgentias destitui suffragio primitivæ Ecclesiæ, numerarique inter pias fraudes Papæ, vel Romanæ Ecclesiæ.

XII. Errorem istum damnat Concilium Tridentinum Sess. 25. decret. de Indulg. anathemate percussis Indulgentiarum contemptores. ita loquitur: *Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* Concilia, quorum auctoritatem allegat Tridentinum, supra nominavimus S. I. nempe Lateranense, Lugdunense, Viennense, Constantiense. Ante autem & post hæc Concilia semper in Ecclesia DEI usus viguit Indulgentiarum. Sanctus Sylvester Papa ante annos 1300. legitur, in-

dulgentias concessisse visitantibus facellum S. Crucis in Jerusalem à S. Helena extructum. D. Gregorium Magnum ante annos 1000. stationes Romanas additis indulgentiis instituisse referunt D. Thomas, & alij in 4. Dist. 20: aut certe in ordinem redegeisse, si ante jam fuerint, ut affirmat Onuphrius Panvinius in tract. suo de Stationibus Paschalis I. qui ante 800. annos sedit, indulgentiam concessit templo S. Prædix ad columnam Christi liberationem unius animæ in purgatorio, ubi etiam ipse post Sacras Missas animam sui Nepotis liberavit, & in cœlum ferri vidit; quam indulgentiam confirmasse undecim sequentes Pontifices, tradunt antiqua monumenta illius templi. Leo III. ad instantiam Caroli M. Imperatoris Aquisgrani in templo B. Virginis multas indulgentias concessit. Ita scribit Ludgeus in epist. de S. Swibertò c. 9. *Leo Papa anno Domini Incarnationis octingentesimo tertio cum magna solemnitate suorum Cardinalium Archiepiscoporum Episcoporum & Prelatorum ac Primatum ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperatore imperiallyter cum suis susceptus inter multa pietatis suæ opera instanti ejusdem serenissimi Imperatoris & Regis Aquisgrani in palatio dedicavit Ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ donans eam Ecclesiam multis indulgentiis.* Et infra: *obitus idem Sanctus Papa eidem Ecclesie speciales Indulgentias cunctis Fidelibus celebrantibus festum S. Sviberii Episcopi & ad divina confluentibus.* Sergius ante annos ferè 800. indulgentias trium annorum & trium quadragenarum concessit Romæ in festivitibus anniversarijs Ecclesiæ S. Martini in montibus, uti antiquus marmoreus lapis in altari maximo ejusdè Ecclesiæ insculptis literis etiamnum hodie ostendit. Alexander III. ante annos 450. scribit ad Archiepiscopum Cantuariensem de remissionibus, quæ fieri solent in Dedicationibus Ecclesiarum & conferentibus ad ædificationem pontium c. quod autem de pœn. & remiss. Honorius III. ante annos 370. indulgentiam ab ipso Christo (ut ex fide dignis habetur) in Ecclesia S. Mariæ de Protiuncula Assisij precibus D. Francisci concessam suâ etiam auctoritate sanxit & stabilivit; cum Christus præcepisset Francisco, ut id ab eodem tanquam Vicario suo peteret. Leo X. hoc sæculo Lutherum Indulgentiarum contemptorem damnavit, approbante hanc impij capitis anathemate percussione toto orbo Christiano. Omitto plurium Paparum concessionem Indulgentiarum præsertim post illa Concilia: constantem earundem usum in Ecclesia Catholica: Et Sanctorum Patrum consensum a deo apertum, ut Kemnitius in Exam. Sess. 25. Trident. scribere fuerit coactus: *nec verò sum necius, veteres aliquos nimis largiter disciplinam illam canonicam commendare, ut quod Tertullianus dicit, satisfactionibus illis peccata expiari.* Cyprianus illis peccata redimi, abluï, sanari, & Judicem placari. Augustinus, DE U. M. illis de peccatis præteritis propitiari. Quid verò ad hos ipse? ed confugit, ut dicat, Patrum sententias non esse scripturarum regula præferendas; Scilicet vespertiones & talpæ isti hæretici Sacrarum arcanum Scripturarum penitus clariùsq; penetrarunt, quam Aquilæ illæ, Sancti Patres, inquam, antiquissimi & prespicacissimi. Unde iterum cum S. Augustino Epist. 118. ad Januar. dicimus: *Siquid per orbem frequenter Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* Atqui universa DEI Ecclesia Indulgentias frequenter

quantat, semperque frequentavit: nec aliud earum initium, quam à tempore Apostolorum fuisse ostendi potest, nec ab ullo unquam hæretico ministro ostensum fuit. Insolentissima igitur infamia & gravissima blasphemia est Lutheri, & Calvinii atque horum assecularum Kemnitij, Molinæi, Hailbrunneri, Amesij, Gerhardi, Hannekenij & hujusmodi tenebrionum, sacras indulgentias non solum negare, sed ut Papisticum, nutrimentum avaritiæ, sentinam mysterij iniquitatis appellare atque injuriari. Adversariorum argumenta vilissima sunt, & contemptum ac risum potius, quam solutionem merentur. Nihilominus.

XIII. Respon. ad 1. negando, indulgentias destitui Sac. Scripturæ testimonio. An non clare ex illa loca fuerunt adducta, & Auctoritate Patrum & Doctorum confirmata? D. Antonino fit injuria, ita scribit: *De indulgentijs nihil expressè in scripturis habemus.* Hoc non est idem ac fateri, indulgentias destitui testimonio Sacrae Scripturæ. Si omnia expressè in Sacra Scriptura contineri debent, cur assidud crepatis, sufficere ad dogma fidei, illud per bonam consequentiam ex Scriptura Sacra deduci? Implicitè autem indulgentias haberi in Scriptura, ostendit S. Antoninus cap. 3. cit. sic scribens: *Claves istius thesauri ad ipsum erogandum habet plenariè Papa; ideo dictum est Petro, tibi dabo claves regni caelorum &c.* Addit mox, aliquos adducere S. Paulum 2. Corinth. 2. cit. tanquam expressè loquentem de indulgentijs; ubi etiam ad istarum confirmationem ait: *Dicitur tamen B. Gregorius imposuisse indulgentias septennes in stationibus Romæ.* Demum probat Indulgentias ex Symbolo Apostolico hisce verbis: *Nota, quod cum in Symbolo Fidei unus ex articulis sit: Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, in quo comprehenduntur effectus gratiæ, remissio peccatorum per Sacramenta, & effectus gratiæ, qui est communicatio meritorum bonorum operum, quæ est per charitatem. Cum relaxatio pœnæ, quæ fit per indulgentias, imitatur meritum Ecclesiæ & præcipuè Passionis Christi; pertinaciter tenere, quod Indulgentia non valeant ad remissionem pœnæ, habitis debitis circumstantijs: vel quod Papa non possit concedere plenariam indulgentiam, est hæreticum, cum sit contra articulum fidei, & contra determinationem universalis Ecclesiæ.* Ecce quid Adversarij lucentur ex D. Antonino, scil. quod sit hæretici, siquidem negant indulgentias, & quidem pertinacissimè. Ad 2. negando, non satis constare ex verbis Christi i. Matth. 16. eum loqui de potestate solvendi à vinculo etiam pœnæ temporalis post interpretationem Patrum & usum Ecclesiæ perpetuum. Nam summi Pontifices ab annis mille & pluribus tanquam ex veteris Ecclesiæ instituto Indulgentias concesserunt: neque ullus eorum velut de re nova locutus est, sed planè, ut de re antiqua & tali, cujus vi promissionis Christi Matth. 16. Petro factæ semper habuerint potestatem. Unde Innocentius III. supra relatus in celeberrimo illo & frequentissimo Concilio Lateranensi nemine Patrum refragante quasi indubitata habens potestatem formas concedendi indulgentias præscripsit, & indiscretas prohibuit. Nunquam autem prædicta verba Christi Matth. 16. vel iste vel alius Pontifex aut Pater ad Solutionem matrimonij consummati extendit, cujus causam infra in controversia de matrimonio dabimus. Ad 3. hoc nihil obesse, cum multa alia in Veteri Testamento facta non fuerint, quæ

in Novo Testamento locum habuerunt. An isticō mala sint? Tunc temporis summis Pontificibus claves regni caelorum & potestas solvendi & ligandi non erant traditæ, sicuti postea D. Petro e jusque Successoribus fuerunt datæ. Quæriturum non est, illos nec indulgentias, nec merita & satisfactiones Noæ, Abrahamæ, Moysis &c. in hunc finem attendisse.

XIV. Ad 4. falsum esse, D. Paulum condonasse Corinthio solam pœnam in foro externo; quia Paulus loquitur de illa pœna, quam illi inflixerat i. Corinth. 5. v. 5. quæ profectò intelligenda est de foro conscientiæ & coram Deo, ut patet ex eodem capite. Item falsum esse, univèrsim in Veteri Ecclesia indulgentiam in finem istum duntaxat fuisse concessam, ut pœna ante offensam communitatem imminueretur &c. Nam in primis negari non potest, Apostolos eorumque Successores habuisse legitimam potestatem remittendi aut imminuendi pœnam, quam penitentes coram DEO debebant; siquidem verba Christi generalia sunt absque limitatione aut exceptione de solvendo omni eo in cælo, quod Apostoli eorumque Successores in persona Christi solverint super terram. Inter quæ non solum peccatum, sed etiam pœna DEO debita continetur. Quid autem hoc est aliud, quam aliqua indulgentia? Deinde Patres frequenter talia habeat in scriptis suis, quæ haud obscurè indicant, tunc peccatoribus non solum inflicta fuisse opera pœnalia, ut sic caverentur scandala, & offensa Communitas redderetur contenta, sed etiam, ut Justitiæ DEI satisficeret. Quando igitur Pœnitentibus Indulgentia est concessa, ea non merè in foro externo Ecclesiæ, sed etiam in foro conscientiæ & coram DEO facta fuit. Denique judicium Ecclesiæ Catholice non contemnendum, quæ omnibus retro sæculis indulgentias approbavit & laudabiliter usurpavit. Et quia hæc est columna & firmamentum veritatis, cur non plus fidei mereatur, quam Sætarj, qui novitate sua orbem in rebus credendis perturbando tot jam errorum & falsitatum convicti fuerunt? Ad 5. Patres illos loqui de remissione maximè quoad culpam, quæ videlicet remissio hominem restituit gratiæ & amicitia divinæ; quamvis etiam remissio omnis pœnæ in momento obtineri possit, quando scil. dolor penitentis valde est intensus & vehemens; quodsi accidit, nec ad remissionem pœnæ quidem obtinendam alio labore opus erit præter dolorem illum momentaneum. Cæterum quanto labore & sollicitudine pro pœna sit DEO satisfactum ostendunt alijs in locis ijdem Patres, ut jam vidimus. Ad 6. Christum abunde satisfecisse in actu primo pro omni culpa & pœna: applicationem verò suorum meritorum & satisfactionum pro pœna temporalis reliquisse hominibus faciendam, ut supra sæpius jam diximus, & indicat D. Paulus ad Colossenses 1. vers. 24. ajens: *Adimpleo ea, quæ defunt passionibus Christi.* Quid deest passionibus Christi? ipsane satisfactio Christi culpæ & pœnæ non sufficit delendis? maximè; sufficiunt illæ per se, & quoad actum primum abundantissimè pro omnibus omnino culpis & pœnis: sed Applicatio deest earumdem Passionum Christi, quæ fit, & fieri ab hominibus potest & debet per Baptismum, Pœnitentiam, Indulgentiam &c. Unde impudens est calumnia Kemnitij loc. cit. scribentis, existimare nos, Christum pro sola remissione

sione peccati quoad culpam: non verò quoad poenam satisfecisse; quasi verò sapientissima Mater Ecclesiae ab heri exurgentibus rebellibus filijs & sciolis ignorantiae incusari, & doceri posset.

XV. Ad 7. fuisse quidem quoduis opus satisfactorium Christi simpliciter in ratione meriti & satisfactionis infinitum, quia immediatè erat à Persona infinita: at non item peccatum, sed illud solummodò secundum quid habuisse infinitatem, ut docent Theologi cum S. Thom. in 3. Part. de Incarnatione verbi, & apparet sanè, scientià Christi Prædicantes parùm esse tinctos. Unde Apostolus etiam Rom. 5. v. 15. *non sicut delictum, inquit, ita & donum.* Et infra v. 20: *tibi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* q. d. potentius fuit donum & Passio Christi, quam peccatum Adami. Confirmatio non est ad rem; quia procedit de Passione Christi, ut est meritoria; nos autem loquimur de illa, quatenus est satisfactoria; etenim Christus passione suâ meruit sibi exaltationem sui nominis, non tamen satisfecit pro se; quia cum esset expertus omnis peccati, non indigebat satisfactione pro se. Ergo valor satisfactionis nobis est reservatus. Videatur Disp. mea Theolog. de Incarnat. Ad 8, non magis sequi divisionem Christi ex hoc, quam ex eo, quod nonnullis Christus quoad efficaciam meruerit ingentem cumulum gratiarum: alijs perquam tenuem, ut apparet infantibus recens post Baptismum mortuis, si cum Deipara, Apostolis &c. comparentur. Ad 9. argumentum hoc procedere de merito, non de satisfactione. Nam merita Sanctorum habent suum præmium; sed aliquæ satisfactiones manent in communi thesauro, quibus scil. illi non indigerunt. Luc. 17. Christus loquitur de præceptis decalogi, quæ servare, & debemus, & quando ea servamus, vult nos non gloriari, quasi aliquid peculiare fecerimus. Nihilominus præter observationem præceptorum possumus alia multa præstare, quæ non sunt præcepta, & ex ijs potes aliquid superesse, quod alijs communicetur, id quod maximè in Sanctis locum habet. Non obstat, prudentes Virgines noluisse communicare aliquid de oleo suo dicentes Marth. 25. v. 9. *ne forte non sufficiat nobis & vobis.* Nam loquuntur non de satisfactione, sed de oleo gratiæ & charitatis habitualis, sine quo salvi esse non possumus; quod quidem oleum unusquisque retinet sibi, nec potest in alios effundere.

XVI. Ad 10. Solum Christum propriè & absolute loquendo esse Redemptorem nostrum. Nam ille propriè & absolute dicitur Redemptor, qui redimit à captivitate, non autem ille, qui solvit pro aliquo debito parvi momenti; dicimur verò captivi, quando sumus in peccato mortali actuali aut originali, à quo nos liberat solus Christus, non autem Sancti. Ad 11. varias esse Doctorum opiniones. 1. Pontificem non posse frui indulgentijs. 2. Pontificem erga alios uti absolutione & solutione simul; erga se verò solum solutione, sicuti erga defunctos. 3. Pontificem posse dare facultatem Confessario, ut ipsum non solum absolvat in Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam Indulgentias conferat extra Sacramentum. 4. Pontificem indirectè fieri posse participem indulgentiarum, si videlicet ea præstet, quæ ab alijs requiruntur ad illas consequendas; tunc enim non se habet ut Pastor, sed veluti unus ex grege,

& veluti per accidens sibi ipsi subiectus; quæ ultima opinio videtur cæteris probabilior. Ad id, quod fuit additum, sciendum, quod duplex sit absolutio; una particularis & absoluta, quæ fertur secundum allegata & probata, atque hæc requirit particularem cognitionem causæ: altera est generalis & conditionata, quæ non requirit cognitionem causæ nisi generatim. Prior absolutio dicitur sententia ab homine: Posterior à jure. Itaque Indulgentia, quæ datur singulis pœnitentibus, & olim usitatissima erat; similis est priori absolutioni; ideòque cognitionem causæ in particulari requirit. Indulgentia verò, quæ datur omnibus generatim & cum conditione certi operis præstandi similis est posteriori absolutioni; atque ideo satis est, Papam cognoscere adesse justam causam concedendi talem indulgentiam. Similiter Indulgentia sicuti & absolutio à peccatis non potest dari invito, licet sic dari possit absolutio à censuris; quia nimirum hæc non requirit aliquam actionem in eo, cui datur, sicuti illa, etenim Indulgentia requirit in eo, cui datur, statum gratiæ & positionem eorum, quæ in Bulla præscribuntur: absolutio verò à peccatis dolorem, confessionem &c.

XVII. Ad 12. denique hæc omnia esse inania verba, mendacia, & calumnias Novatorum, quæ non merentur responsum, sed risum ac contemptum, & satis produunt istos rabulas inobratione & auctoritate, sed merà superbiâ, odiò, invidia; perversâ voluntate, atque hæreticâ rabie contra indulgentias stimulari. Brevissimè negatur 1. Indulgentias ulli dogmati fidei aut Passioni & honori Christi derogare, ut satis patet ex supra dictis. Negatur 2. eadem tollere partem Sacramenti essentialem, fructus dignos pœnitentiæ &c. Quia satisfactio est pars Pœnitentiæ solum integralis, nec absque justa causa aufertur. Prudentes Christiani sic indulgentias accipiunt, ut simul dignos fructus pœnitentiæ faciant; norunt quippe bene, in Ecclesia extare potestatem concedendi indulgentias, & in particulari fieri posse; ut indulgentia vel non sit rata, vel non prosit, ut rectè Bellarminus Lib. 1. c. 12. Compensatio injuriarum Deo factarum non consistit in indivisibili seu uno modo, nec per indulgentias omittitur. Demum, ut supra jam innuimus, per indulgentias remittuntur pœnitentiæ impositæ solum ut satisfactoriæ, non ut medicinales sunt; etenim non sunt in destructionem, sed ædificationem animarum. Negatur 3. Indulgentias esse commentum novum & avaritiæ nutrimentum: Nemo enim nisi rudissimus ignorat antiquissimum indulgentiarum usum; aut nominetur Pontifex, qui post primævam Ecclesiam illas induxerit? Gregorius M. ante mille annos indulgentias Romæ concessit, ut supra diximus; utique non absque exemplo Majorum. Bonifacius Papa in Extravag. 1. de Pœnit. & Remiss. ait: *Antiquorum habet relatio fida, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe concessa sint magne remissiones & indulgentia.* Eleemosyna, quæ subinde in concessione Indulgentiarum expetit, non eo sine juxta institutum Ecclesiæ requiritur, ut per eam quasi negotiatione quâdam remissio pœnæ ematur, sed ut exhibito illo opere pio & ad bonum finem necessario causa idonea suppetat dispensandi per indulgentias Ecclesiæ thesaurum, qui absque causa in Ecclesiâ utilitatem cedente

dente distribui non potest; unde antiquitus indulgentias per tria CCC obtineri oportere dicebatur; nempe per *Contritionem, Confessionem, Contributionem* ad defensionem Ecclesiae, contra Infideles & Rebelles Ecclesiae, vel pro reparatione Ecclesiarum, Viarum, Pontium &c. Ut explicat Joannes Kaiserperger Dominica 2. post Pascha, cui consentit Godeschalchus relatus ab Hailbrunner. Quod si abusus aliqui irrepant, non id Ecclesiae, sed aliorum vitio accidit, cum Ecclesia illos vehementer caveri mandet, ut videre est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in eius decreto legitur de moderandis indiscretis indulgentijs; quod etiam fecit Concilium Viennense Lugdunense, Tridentinum Sess. 25. Nonnullos ex Catholicis Doctoribus de Indulgentijs quaedam non satis apprehendisse, ideoque incaute de iisdem scripsisse, non ignoramus. Sed isti non fecerunt id animo obstinato, sed parato ad correctionem, si aliud ab Ecclesia teneri intellexerint. Quod verò vel D. Bonaventura vel alius unquam Catholicus Doctor scripserit aut docuerit, Indulgentias esse pias fraudes Papae vel Matris Ecclesiae, est longè falsissimum, & palmaris ac prorsus adipata ac pinguis calumnia Novatorum, qui ex mendacis compositi pridem omnem frontem exuerunt & fidem perdidit.

XVIII. *Error secundus*, Indulgentijs animas in Purgatorio juvari non posse. Ita omnes Sectarij, qui purgatorium negant. Nominatim verò indulgentias pro defunctis hic oppugnat Petrus Molinaeus in suo novo Papatu fol. 632. Tum auctoritate Gelasij Papae in commonitorio ad Faustum Legatum, ubi ait, *Scriptum esse, quicquid solveris super terram: non infra terram &c.* Tum quia facultas Apostolis concessa à Christo consistit inseparabiliter in solvendo aequè ac ligando. Atqui Papa non habet potestatem in animas defunctorum ligando eas in purgatorio. Ergo nec solvendi. Tum quia si Papa habet potestatem animas in purgatorio solvendi, cur non omnes liberat?

XIX. Hunc errorem rejicit Ecclesia, dum damnat anathemate negantes purgatorium. Et communis est doctrina omnium Doctorum Catholicorum, Papam seu Ecclesiae Pastorem & Spiritualem Thesaurarium offerre atque exhibere DEO satisfactiones Christi ac Sanctorum pro liberatione Animarum è purgatorio; atque hoc est, quod ajunt, *Indulgentias prodesse animabus defunctorum per modum suffragij.* Ratio hujus est, quod Fideles in purgatorio adhuc vinculo Fidei Spei & Charitatis vivis in Ecclesia militante conjuncti sint, ita ut simul unum corpus Ecclesiae efficiant, ut testatur S. Augustinus Lib. 20. de Civitate DEI cap. 8. *Neque piorum, inquit, anima mortuorum separantur ab Ecclesia, qua etiam nunc est regnum Christi.* Alioquin nec ad altare DEI fieret eorum memoria in communi Corpore Christi. Hinc fit, quod etiam privatae personae opera mortificationis suae, hoc est, jejunium, disciplinam cilicium, elemosynam &c. per modum suffragij defunctis applicare valeant. Si autem privatae personae ex suis succurrere ac juvare animas defunctorum possint, cur Papa id nequeat ex communi thesauro Ecclesiae, cum iste thesaurus ejusque dispensatio ipsi fuerit commissa? Non expectent Novatores aliquid indulgentiae post mortem; quia non venient ad purgatorium, alibi verò, nempe in inferno, quo

properant, indulgentia non obtinetur, sed aeternis atque inextinguibilis ignis sufficitur.

XIX. Respon. ad 1. Gelasium Papam loqui de solutione judiciali; Papa autem non concedit defunctis indulgentias per modum absolutionis judicialis, sed solummodo per modum suffragij. Constat autem ex recens dictis, inter illos, qui sunt supra & infra terram in purgatorio, aliquam intercedere communicationem meritorum ac satisfactionum. Quamvis igitur Anima in purgatorio Papae jurisdictioni & potestati judiciali subiecta amplius non sint, adhuc tamen spiritualium bonorum capaces existunt, quae bona Ecclesiae eisdem communicare vult. Ad 2. verum est, quod potestas judicialis absolutionis inseparabiliter unita sit potestati judiciali ligationis. Papa autem non liberat animas è purgatorio per modum judicialis absolutionis, sed per modum suffragij duntaxat. Ad 3. Cur Papa non omnes animas simul è purgatorio liberet, noverit ipse. Et quia DEUS eidem spiritualem Ecclesiae thesaurum commisit, sciet etiam, quo modo hunc ita expendat, ut ad DEI gloriam cedat. Caveant autem haeretici, ne DEUM etiam crudelitatis incensent, quod in uno momento non omnes homines salvet, cum facillimè possit. Misericordia quidem agnoscatur, sed Justitia non prorsus arceatur.

\*\*\*\*\*

## CONTROVERS. LXXIX.

### DE SACRO ORDINE.

DE hoc sacro Ordine, & hominibus ad ejus dignitatem evectis Gelasius Papa in Epist. ad Anastasium Imperatorem sic scribit: *Duo sunt, Imperator, quibus principaliter hic Mundus regitur. Auctoritas sacra Pontificia: & Regalis Potestas; in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam de ipsis Regibus hominum in divino judicio sunt reddituri rationem. Potest & solet Ordo accipi aliquando passivè, hoc est, pro gradu ipso v.g. Diaconatus & Presbyteratus &c. Et hoc modo est effectus, & non Sacramentum, ut ex dicendis constabit; aliquando accipitur activè pro ipsa actione, quae confertur potestas; Atque hoc est Sacramentum, de quo in praesenti.*

\*\*\*\*\*

### PARS PRIOR.

#### DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Ordo est ceremonia sacra, quae ordinato conceditur potestas ad aliquod Altaris officium stabiliter peragendum. Ita cum Magistro sententiarum in 4. Dist. 24. communiter alij Doctores Ordinem definiunt: *Signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur Ordinato.* Unde Ministerium hoc revocari, aut deleri nunquam potest, tamen ejus exercitium suspendi queat, ut dixit S. Augustinus Lib. de bono conjugali. c. 24. Et Tertullianus Lib. de Presbyteris advertit, *haereticorum proprium esse, ut eras sint Laici, qui hodie sunt Ministri.* Sola etiam haereticis